

AK. 309.

v Patov

SOLEMNIS ORATIO



QVA
VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI
DE QVE REPVBICA
DVM VIVERET
OPTIME MERITI

JOH. PATOVII

SPECTATISSIMI, IN LVSATIA INFERIORI,
PRAEFECTI
DYNASTAE IN MALÆNCHEN, NEIDECK, WIESE, &c.

MEMORIAM
NVNQVAM NON DV RATVRAM
IN ACROATERIO MAJORI VITEMB.
ANNO M DCC XX.

MENTIS, QVA PAR EST, PIETATE
PVBLICE

COLERE VOLVIT, DEBVIT

JOH. GVILIELMVS BECKERVS

BEROLIN. MARCH.

Ph. & SS. Th. St.

WITTENBERGAE, EX OFFICINA GERDESTANA



V I R O
GENEROSISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
JOH. FRIDERICO
DE PATOV
DYNASTAE IN MALÆNCHEN, ERPITZ
SCHADEWITZ, GLIECHO, ET NEIDECK, &c. &c.
IN SVPERIORI CIVILIS JVSTITIAE JVDICIO
LVBENAE IN LVSATIS QVOD FLORET
CONSILIARIO SAXO-MARTIS-
BVRGENSI GRAVISSIMO
MAECENATI AETERNO MENTIS
OBSEQVIO MIHI SVSPICIENDO.

GENEROSSISSIME ET EXCELLENTISSIME

V I R

Reges ac Principes, quanto quidem magis reliquis, ius etiam optimis, mortali- bus & generis sanguinisque amplitudi- ne, & dignitatis fastigio, & virtutum præstantia antecellunt, tanto religiosiori mentis cultu ac veneratione res ipsorum gestas prosequamur, oportet. Neque tamen minus omnes eos ac singulos, quibus natura, vel ut Christiano dignius loquar, naturæ Auctor Statorque, in di- stribuendis animi dotibus benigniorem fese præstítit, nulla generis ratione habita, qua par est, pietate colere, ipsorumque studia & conatus, qua possumus submissione, revereri solemus. Nec id immerito. Sive enim consilia eorum sapientiæ prudentiæque plenisima, sive fa-cta ipsa, divinæ virtutis testimonia, intuearis, ex omnibus satis superque conjicere licet, & intelligere, eos non solum fulera esse, quibus communis omnium salus innitatur, sed & fontes, ex quibus omnis cœtus sacri pariter, atque rei-publicæ felicitas originem trahat. Quemadmodum vero hoc in terrarum orbe nihil tam

sanctum est, quod hominum impietas violare non ausit, nihil tam diuturnum, quod temporis injuria non consumat, nihil tam firmum atque stabile, quod igne ferroque frangi non queat: ita neque ex ipsius Poetæ judicio majoris est virtutis gloriam querere, quam quæsitam & partam tueri. Quid namque referret, quæso, divitias nobis atque facultates a parentibus relinquiri, nisi eas aut incolumes atque salvas conservare, aut amplificare studeamus. His moti causis, omnium seculorum memoria homines eos tantummodo veræ nobilitatis nomine insignire consvererunt, qui majorum gloriam, rerumque gestarum splendorem defendere desudarunt. Quibus, TE, itaque, GENEROSISSIME, maxime Musarum Stator, laudibus prosequar? Quibus studiis laudes Tuas colam? Quis etenim est tam ignarus rerum, quem fugiat, TE non solum Majorum, Patris potissimum magni TVI, virtutes atque merita contra omnem temporis acerbitatem salva defendisse, sed & tot tantisque accessionibus adauxisse, ut impar plane sim ipsis eloquendis? Cum inter Patris TVI, æterna mihi religione venerandi, virtutes, amplissimum illud, quod Musis consecravit, beneficium, tanquam fidus illustre reuceat, tantum abest, ut TVA culpa intermortuum

mortuum sit, ut potius me isto ornatissimum
volueris indignum. Meum est, ut grati animi
signum edam, sed quantum vereor, ut pietati,
qua TIBI obstrictus sum, satisfacere queam.
Neque tamen minus, benignitate TVA confi-
sus, in spem venio, fore, ut imbecillitate viri-
um expensa, in voluntatis meæ obsequio be-
nignissime acquiescas. Hinc non est, quod
mirere, me leve hoc, quod immortali Patris
memoriæ constitui, monumentum, TIBI sa-
crum esse yelle. Certo namque TIBI persua-
sum habeas, velim, nullum fore tempus, quo
aut TVAM, aut Parentis TVI, memoriam ex ani-
mo deponam sanctissimam. Ceterum Numen
supplex oro obtestorque, ut non solum TE orbi
literato Ornamento, reipublicæ Fulcro, clien-
tibus, mihi præcipue, Præsidio maximo, quam
diutissime salvum esse jubeat, sed & totam Gene-
rosissimam Familiam, contra omnia adversæ for-
tunæ pericula, incolumem tueatur, & florentissi-
mam. Quod si divinitus obtigerit, spero, fore,
ut nec in posterum desinatis Vestro dignam
habere Præsidio salutem atque fortunam!

Immortali obsequio devinctissimi Clientis

JOHANNIS GUILIELMI BECKERI.

MAGNIFICE HVJVS ACADEMIÆ RECTOR
COMITES ILLVSTRISSIMI
CETERI QVE VIRI SVMME REVERENDI, NOBILISSIMI
CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLEN-
TISSIMI, AMPLISSIMI, PRAECELENTISSIMI
MAECENATES, PATRONI, PRAECEPTORES
AETATEM SANCTISSIME DEVENERANDI
TVQVE SPES SECVLI MELIOR, JUVENVM AC COMMI-
LITONVM CIRCVMFUSA CORONA NOBILISSIMA

Plurimos equidem Philosophorum apud gentes il-
las, religione barbaras, mortem ideo, quod cre-
debant omnium rerum extremum, terribilium
terribilissimum appellare consuevit, animis
formidine ejus miserandum in modum percul-
sis; Neque tamen minus sapientioribus certo fuisse per-
svasum, morte non utramque hominis interire partem,
sed alterutram, eamque excellentiorem, superstitem re-
manere, summaque aut felicitate affici, aut ignominia,
ex eruditissimis ipsorum scriptis, jam dudum & Mor-
næus, & Calixtus, & Pfannerus, & Vossius, illustre il-
lad orbis literati sidus, & Clasenius, & Rudraffius con-
tra Osiandrum & alios, omnem cognitionem felicitatis
æternæ paganorum negantes, ob oculos ponere stu-
duerunt. Et quis est, quem fugiat, Thalerem jam Mi-
lesium, Diogene Laertio, & Macrobius testibus, felicitas
animæ post mortem stabilisse? Quid clarius hanc
in sententiam esse potest Verbis, quæ Homerus, quæ
Phocylides, quæ Menander, quæ Plutarchus, quæ Sal-
lustius, quæ Ovidius, quæ Juvenalis, inter omnes po-
tissimum

tissimum Cicero , proferunt , mortem nunc discessum ,
nunc dissolutionem animi a corpore , nunc commuta-
tionem vitæ atque loci , nunc in eas oras , quas animæ ,
relicto corpore , incolant , migrationem describentes ,
extinctione penitus exclusa ? Animam namque a fragi-
litate communis naturæ , alienam plane esse , illi , ejus
conditionem altius secum reputantes , non poterant fa-
cillimo negotio non assequi ; siquidem ea , quemadmo-
dum non , ut corpus , ex minutis est composita , ita ne-
que in easdem resolvi potest , tantum abest , ut a se in
nihil plane reverti queat . Evidem non deerant A-
thei , sequioreque ætate Epicurei ac Sadducæi , qui , hac
de spirituali animæ essentia doctrina in dubium revoca-
ta , eam materiæ omnis expertem esse inficias irent ,
rationibus aliquid speciei præse ferentibus innixi . At enim
vero monstrosis his ingeniis , ut assensum præberent ho-
mines meliora edocti , tantum aberat , ut potius oppo-
sitis animæ operationibus spiritualibus omnes ipsorum co-
pias penitus profigarent , animis usque adeo convicti ,
ut animam in ipsum tandem Numen diuinum exi-
tioso converterent errore Pythagoras atque omnes , qui
ex ejus Schola , tanquam ex equo Trojano , prodierunt .
Etsi quidem Socrates , qua , nescio , divinatione , animam
imaginem tantum Dei salutabat , Seneca tamen animum
ex iisdem , quibus divina constet essentia , compositum
seminibus , nosque adeo DEI socios esse & membra ,
tanta quidem audacia aperte docuit , ut non solum jam
tum complures , sed & superioribus seculis ex multis poti-
ssimum Lipsius & Schmidius isti errori eo studiosius
obicem ponere operam navarint , quo prodigiosiora in
causa divina peperit monstra . Hac tamen illi animæ
felicitate , quantacunque esset , non contenti , corporis
etiam fragilitati consulere annitebantur , prohibituri , quo

minus

minus omnis ejus felicitas in orbe uno mortis impetu
laberetur, sed relinqueretur quicquam, quo se vixisse
testarentur. Atque hanc omnem felicitatem, in nullo
alio, quam memoriae perennitate sitam esse ac positam,
minus ignari, in hoc uno omnes nervos atque vires con-
tendebant, ut ne rationem ejus adipiscenda præterirent.
Hinc eam quærebant alii in amplitudine divitiarum atque
honorum, alii in exequendis virtutibus, alii, virtutibus
neglectis, eo dementiae progrediebantur, ut cum Hero-
strato, impio illo, Templum Ephesinum accidente, in vi-
tiis ipsis impetratum iri existimarent. Alii certissimam
sextaturi viam, omnem castris commendabant fortu-
nam. Sed quis est, qui non intelligat, quam infeliciter
hi omnes consuluissent memoriae suæ famaque immor-
tali, nisi accessisset literarum lumen. His igitur com-
motus rebus haud immerito in animum induxi, quam
potero, brevissime confidere, Felicissimas Memoriæ Mu-
sis esse Custodes, edocturus exinde, Nobilissimo, Am-
plissimo, deque republica, dum viveret, optime merito
VIRO JOHANNI PATOVIO, *Speciosissimo in Lusatia
inferiori Praefecto, Dynastæ in Malanben, Neideck, Wiese &c.
&c.* cui hodierna luce grati animi monumentum extru-
endum est, ideo, quia Musis memoriam suam ab inte-
ritu defendendam tradidit, nec ullum mortalitatis peri-
culum esse metuendum. Cum autem verear, ut gra-
vissimo isti negotio par sim sustinendo, haud ignarus,
quam exiguum sit ingenium meum & exercitatio dicen-
di, etiam atque etiam a Vobis, omnium Ordinum ho-
noratissimi Auditores, peto atque contendō, ut, quæ
linguæ meæ infantia prolatura sit, pro eo, quo in me
ad unum omnes affecti estis, animo, meliorem in par-
tem accipere atque ea, quæ desiderantur, judicii Vestri
acumine, haud dedignemini supplere. Quamadmo-
sapien-

dum sapientissimo Aeneæ Sylvii judicio, tanta est Mu-
sarum præstantia tanta dignitas, ut non modo Principi-
bus gemmæ, generoso loco natis auri, reliquis argenti
instar habendæ sint, sed & omnes omnium diuitias lon-
gissime superent: ita non possunt non suam virtutem,
qua pollent, ac bonitatem exemplo DEI, Conditoris sui,
cūm aliis etiam communicare. Communicant autem
potissimum hominibus, de ipsis & Republ. bene meritis
præmii loco, & in vita honores summos atque felicita-
tem, & post mortem immortalitatem suam, liceat mihi
ita dicere, conferendo. Quem vestrum fugit, Hiarnum
solis versibus, quibus Frothonis III. sepulchrum ornavit,
ad Regiam in Dania dignitatem erectum esse? Anaxa-
goras & gentilitiis hæreditatibus, & optimis amicis stu-
diorum causa relictis, in ea omnia respiciens, quanta
poterat vociis contentione exclamat: non essem sal-
vus, nisi ea periissent. Quantum purpura atque sce-
ptrum Regi, coronaque ejus capiti, tantum literæ sane
hominis animo afferunt decoris, & ornamenti. Hinc
ne maximi quidem Principes eas veriti sunt amplecti,
summoque mentis cultu venerari. Philippus ille Ma-
cedo, maxime tum sibi, tum filio Alexandro gratula-
batur, cum eundem Aristoreli traderet expoliendum.
Quid de Augusto, augustissimo Romanorum Impera-
tore, proferam? Quid de amplissimis donis, quibus Vir-
gilium, Horatium, Mæcenatem afficiebat? Quanto
Suetonius Tito Vespasiano honori, quantæ felicitati du-
cit, & latine & græce doctum fuisse? Quid de M. Au-
relio Antonio dicam, qui totum fere humanæ sapientiæ
oceani exhausit? Quid de Constantini M. Filio, qui
nullum, qui non poeseos studium callebat, in senatum
recipiebat? Solon crebro in ore habebat, se senescere
multa indies addiscentem. Vereor sane, ne Carolus V.

))

pal-

palmam ei jamdiu præripuerit, qui ad senectutem usque.
Thucydidem atque Cominæum peruestigavit, non mi-
noris, quam Alexander M. cumque eodem Claudius
Belurgerius Homerum, Aristophanemque Augustinus,
eosdem faciens. Quis bello plane abhorruit a Musis,
iisdemque non maximam felicitatis suæ partem adtri-
buit? Quid enim est, quod Achillem, quod Agame-
mnona, quod Ajacem, Græcorum heroas, tanta belli sci-
entia, quanta floruerunt, instruxit? Musæ. Quid apud
Romanos Camillos, quid Curios, quid Decios, quid Fa-
bios, quid Scipiones, quid Catones ad tantum honoris
fastigium evexit? Musæ. Quin immo ne barbaræ qui-
dem nationes a Musis alieniores esse voluerunt. Indi
etsi quidem omnem honestatem, omnemque humanita-
tem exuisse videbantur, sordibus tantummodo addicti,
suos tamen Brachmanes omni veneratione dignos judi-
cabant. Quod si Cæsari credamus, Gallis priscis facile
omnem honestatis existimationem derrahere liceat, ne-
que tamen minus nullus erit, quem fugiat, Druidas ma-
gno ipsis in honore fuisse. Tacitus quidem de Germanis
tradit, literarum secreta & viris, & mulieribus ignota
fuisse: Sed tamen hoc ipso minime negat, Sacerdotes
& Bardos Musis operam dedisse elegantia pariter alle-
rios & felicitate inde proveniente. Ut ne quid de eru-
ditis omnium nationum mulieribus addam, quas miri-
fice literarum præmia invitarunt. Intelligentes nam-
que Musæ, æquum esse, ut condignum labores excipiat
præmium, varia præmiorum genera excogitata cum
orbe communicarunt. Cum pro certo homines, explo-
ratoque habeant, omnium factorum illustrissimum esse
hostem, eumque omnibus copiis instructum, vincere
& in fugam conjicere, propterea, quod his facilime vir-
tutis præstantia in hominum oculos incurrere solet, non
solum

solum in ludis jam Olympicis, sed & in tota re militari
victoribus coronam Musæ constituerunt, siquidem una
omnium gentium consensione singularis in Corona re-
sideret dignitas atque majestas. Aliis alia præmia decre-
verunt. Quis valeat, ea omnia laudibus satis amplis
efferre, quibus suos ipsarum filios atque cultores exor-
nant? At vero quantumcunque hæc omnia ad famam
& memoriam conservandam conferunt, tantum tamen
abest, ut sufficere existimat, ut potius maximum honoris
momentum ad mortem reponant. Quandoquidem mors,
sive ejus originem atque fontem consideres, sive nuncios
sociosque, morbos, intuearis, nihil aliud, quam communis
naturæ exitium præ se fert, eo cautiorem Musæ adhibent
curam, ne bene meritorum fama una cum funere terræ
inferatur, sed vel ad ultimam posteritatem tam vocibus,
quam literarum monumentis transmittatur. Libros e-
nim perpetuos memoriae custodes esse, jam diu Plinius
ille intellexit. Hinc semel atque iterum Caninium Ruf-
fum, familiarem suum, literis admonet, ut ne ad immor-
talitatem perveniendi occasionem temere dimittat, sed
scribendis libris memoriae suæ consulat. Atque sane
quid de Cyro primo Persarum Rege constaret, nisi vir-
tutes ejus & res gestas Xenophon Cyropædia sua erudi-
tionis plenissima ab oblivione vindicasset? Quid de reli-
quis omnibus? Ita non est, quod mirere, non nullos i-
psos, inter eos sigillatim Julium Cæsarem, facta atque bel-
la sua literis tradidisse. Hoc eodem consilio Augustus
Horatio non semel gravissimam suam significabat indi-
gnationem, quod non crebriorem sui in scriptis faceret
mentionem. Ab hac sententia, æque ac ab omni gloriæ cu-
piditate non plane abhorruisse Ludovicum XIV. Regem
Galliarum, indicia sunt decem millia florenorum, quibus u-
nicum versum, in laudem ejus marmori incisum, compen-
sabat.

sabat, quam plurimos ad celebrandas laudes suas allecturus. Huc etiam respiciebat Epaminondas, illi, qui ipsi, quod nullos filios relinqueret, exprorabat, respondens: satis multos relinquo filios. Nam cum tanta in universam Græciam ejus extarent merita, animo facile prævidebat, ea non oblivioni traditum iri. Quæ spes eum neque fellit. Inciderunt autem præterea Musæ etiam excellentium virorum vitas statuis lapidibusque. Etsi quidem statuas Ægypti atque pyramides Regibus tantummodo decernere consverunt, Græci tamen ac Romani, nullo dignitatis discrimine habito, promiscue omnibus ac singulis bene meritis erigebant easdem. Hæphestioni, exercituum præfecto, Alexander M. monumentum, pretio plane incredibili collocabat. Athenienses juxta ac Romani statuas tanto numato occupulabant, ut tandem & forum, & campi, quos vocabant, omnibus capiendis plane impares viderentur. Atque hac clebrandæ famæ ratione Musæ tanto felicius famæ hominum consulunt, quanto magis hisce monumentis ingenia ad virtutem acciduntur. Quantum enim, vel levissimum, excitent annimum imagines clarorum virorum, non solum Sallustius Q. Maximi atque P. Scipionis, aliorumque testimoniis confirmat, sed & ii probare valent, qui eas secum perpetuas veluti comites circumtulerunt. Quis enim affirmare ausit, Alexandrum M. Darium, Scipionem patrem, Philosophos Magistros, utpote Stoicus Zenonem, Academicos Platonem, Peripateticos Aristotelem, alios Epicurum, non nisi venerationis causa in annulis cœlatos habuisse? Et hanc in sententiam Kirchmannus de tota Macrianorum familia tradit, eam etiam Alexandri M. effigiem in annulis gesisse. Imo quid aliud erat, quod Cæsaris animum ad tot tamque illustria perpetrandâ facinora excitabat, quam eadem hæc imago, in Jovis

vis templo Romæ conspecta? Felicissimos itaque omnes, qui memoriam vestram non, nisi Musarum, felicissimarum custodum, præsidio salvam voluistis! Singularis plane, incredibilis & inaudita erat pietas, qua Virgines illæ Vestales Deæ suæ ignem tuebantur; major fere ea, qua Artemisia illa Mausoli, mariti, cineres usque ad cineres prosequebatur. Quanta vero ea est veneratio, qua vestram Musæ, & virtutum & rerum gestarum memoriam ad hoc usque tempus salvam defendunt. Aaron Israelitarum tribus semper pectore gestabat, sed nomina vestra Musæ ipsis omnium animis ita impresserunt, ut non possit gloria vestra ad omnem usque æternitatem incolmis & integra non florere.

Quæ cum ita fœse habeant, quis est Vestrum, Auditores omnium ordinum honoratissimi, qui Amplissimo PATOVIO nostro immortalitatem aut denegare, aut dubiam reddere ausit, illustrium ejus virtutum memoria pariter non divitiis, non armis, sed solis Musis ad perpetuam ab interitu defensionem commendata? Quid enim amplissima, quæ ipsis destinavit, beneficia aliud sunt, quam æterna monumenta singularis & commemorabilis ipsius in Musas liberalitatis? Liberalitatem virtutem esse, quæ vel in se sola multarum conspectum virtutum exprimere valeat, nemo, spero, erit, qui inficias eat. Optimo jure Pontanus inter maxima Cyri mirabilia refert, eum in suos nullum liberalitatis genus prætermissee, non pecuniam, non opes, non facultates, sed amicos optimos thesauros ducentem. Si verum est, quod Coelius de Alexandro M. fide alioquin satis probata, commemorat, is maximo sibi honori duxit a nemine unquam benignitate superatum esse. Æliano & Alexander ab Alexandre testibus Ptolomæi, Philadelphus & filius, reges ita hanc virtutem coluerunt, ut posterior se-

cundum excellentiam Evergeta salutaretur. Ut ne quid
de Tito Vespasiano, qui illum se diem perdidisse crede-
bat , quo non specimen aliquod ediderat liberalitatis,
in præsenti addam. Cicero luculenter docet , nulla re
mortales , quam benefaciendo , proprius ad DEVM acce-
dere posse. Sed tamen inter omnes constat , nunquam
hanc virtutem , quam in Musas amplificandas effusam ,
illustriorem esse. Hinc omni tempore maximis in lau-
dibus positum fuit ipsas , speciatim poëseos studium be-
neficiis ornare. Non modo Octavia Virgilio , pro pau-
cioribus versibus quinque sicolorum Millia , sed & Veneti
Sannazario pro unaquaque linea centum florenos solve-
runt. Neque Fulvius, Ætolorum apud Quirites victor ,
ipsas Musis Martis manubias consecrare dubitavit. Ab
his , ut laude illustrissimus P A T O V I V S noster abhor-
ruerit , tantum abest , ut potius amplissimo voluerit Mu-
sas beneficio cumulatas. Sicuti omnes quibus abunda-
bat facultates atque divitias non nisi a Numine divino
profectas esse satis superque intelligebat : ita easdem et-
iam in ipsius honorem conferendas esse sapienter statue-
bat. Non eandem omnibus de literarum studiis sedere
sententiam , sed per multos ea , nisi odio habeant , tamen
parvi pendere , suo jam tempore Cicero gravissime de-
plorabat , o tempora , exclamans , o mores ! Sed in P A-
T O V I O nostro tanta erat Musarum æstimatio , ut omni-
bus eas hoc in orbe divitiis anteferret. A primis sta-
tim ætatis annis mirabili in ipsarum salutem affectus e-
rat benevolentia ; attamen eximio huic amori publicam
etiam affectus benignioris significationem accedere vo-
lebat. Atque de hoc tanto Musarum præsidio , quomo-
do egomet tacerem , qui non diffiteor , me ipsi secundum
DEVM , omnem fere salutem meam in acceptis referre
oportere ? Qua TE pietate venerabor ? qua ani-
mi

mi religione sanctissimos tuos cineres exosculabor? quibus laudibus munificentiae TVAE amplitudinem prosequar? Gratias beneficiis, si non majores, certe æquales esse oportere, vel æquitas ipsa præcipit. O quantum vereor, ut satis gratum animum exhibere queam! tantum abest, ut memoriae TVAE immortali monumentum satis pretiosum valeam collocare. Omnia vero maximum est, quod dolorem infligat, quod ne verbis quidem laudum TVARVM fastigium assequi linguae meæ infantia permittat. At enim vero sollicitum animum consolatur totam gratitudinis ad animum fieri æstimationem. Pro certo enim adfirmo, beneficij Tui, quo me indignum ornavisti, memoriam animo meo usque adeo infixam esse & insitam, ut præter solam mortem, nec ulla eam temporis injuria extinguere possit atque dele-re. Quid, quod si fieri posset, ipsi cineres mei, Tibi, urnæ inclusi, adhuc gratias acturi essent. Ipsum enim hoc Diui Lutheri subsellium, ipsi parietes omnium nomine Musarum una tecum gratias persolvere gestiunt, gloriae Tibi immortalitatem jam nunc gratulaturi. Si vel horum omnium nihil esset, nullum tamen virtutum memoriae labendi periculum timendum foret, cum tantum Musis Filium reliqueris, in quo & Te ipsum & excelsi animi dotes venerari licet. Eum itaque, quem ad amplum honorum ac dignitatis gradum, meritis in Rem-publicam, evectum omnes sciunt, uti sospitem, incolu-mem, salvum florentissimumque perpetuo præstare, omnique fortunarum genere cumulare velit, quibus possum, Numen propitium veneror, quo & amplissima Domus per eum, majoribus undiquaque captis incrementis, omnium calamitatum expers semper vigeat floreatque, & adhuc alii complures amplissimi beneficij, quo ornatus ego sum, participes fiant. Florentiam

etiam

etiam omnes eæ familiæ amplissimæ , quibus cum gene-
roso PATOVIORVM N OMINE conjunctio intercedit, &
affinitas. Ab omni adversæ fortunæ metu eas omnes DE VS
liberas esse jubeat. Quod divinitus obtigerit, quæ acer-
bitas, quæ injuria PATOVIORVM N OMEN amplissi-
mum extinguet ? Præsertim, cum jam omnem posteri-
tatem , de constituto beneficio , uno ore cum Venusio
prædicantem audiam : erexit PATOVIVS monu-
mentum perennius ære, quod nec imber edax possit
diruere, aut innumerabiles annorum series & fugat tem-
porum. Quod restat , ut me meamque fortunam Ge-
nerosa P A T O V I A N A Familia imposterum quoque
Præsidio tueri dignetur , est, quod etiam atque etiam
contendo. Namque non solum ego perpetuum me
Vestri cultorem admiratoremque profiteor , sed & omnis
Musarum coetus memoriaræ Vestrae curam habebit, nun-
quam commissurus, ut Nomen Vestrum intermoria-
tur, quin potius illud perpetuo florebit, florebit,
quamdiu Musæ ipsæ florebunt.



M.C.

Farbkarte #13



v Patov
NIS ORATIO

QVA
ISSIMI, AMPLISSIMI
E REPVBLICA
VM VIVERET
TIME MERITI

PATOVII

IN LVSATIA INFERIORI,
RAEFECTI

ÆNCHEN, NEIDECK, WIESE, &c.

MORIAM

NON DVRATVRAM

RIO MAJORI VITEMB.

IO M DCC XX.

QVA PAR EST, PIETATE

PUBLICE

VOLVIT, DEBVIT

ELMVS BECKERVS

OLIN. MARCH.

& SS. Th. St.

EX OFFICINA GERDESIANA
BIBLIOTHECA
ONICKAVIANA

